

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Dies.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A**Quod si idem innuere voluissent, eandem ipsam volucrem demissa cauda pinxissent: quasi tunc nox stellas occulere videatur, cum dies ipse cœperit adventare, tamque diu latitent stelle, quamdiu Sol supra terram est.

## GLORIOSUS. CAP. VI.

**V**erum eadem species, qua noctem significabat, hominem etiam gloria plenum exprimebat. *Hoc à Plin.*  
Pavo enim pretiosam eam caudam suppellicilem tum plurimum ostentat, cum plurimos ad felib<sup>20. c. 120.</sup> spectandum advenisse conspexerit: quod si nullum admirari, adesse cognoverit, eam recondit veluti indignatus. *Hinc Ovidius, Laudata Pavone superbior de valde sibi placente dixit. Quoniam vero* *Lib. 13. Me-*  
*fœminarum est proprium, qualibet in re sibi applausum querere, gloriofasque esse, inter Pavonem & fœminam mirus quidam natura consensus est: ut minime mirum sit virginem in Leucadia usque adeo adamatum à Pavone, quem ipsa aluerat, ut ea defuncta ipse etiam commori voluerit.* *timor.*

## PRODIGUS. CAP. VII.

**B**Non inepte autem nonnulli, perditio luxu prodigos, Pavonis imagine describunt, in quibus quidem cauda mira conspicitur pulchritudinis, verum ea neque ad volatum, neque ad motum utilis: cum plerisque aliis omnibus volatiibus cauda, vel ad volatum dirigendum loco temoris cūjusdam attributa sit, aut etiam ut motum juvet, vicemque remorum subministret: Pavoni vero ea tam ampla, tam sui prodiga, ad solam colorum ostentationem data-

## CONCORDIA. CAP. VIII.

**I**n nummo DOMITIAE AUGUSTÆ IMP. DOMIT. altera facie Pavonis effigies cum inscriptione, CONCORDIA AUGUST. Hac ea Domitia est, quam Domitianus Augustam salutavit, posteaquam ex ea filiam suscepserat, mox eam repudiavit, repudiata ob instabilitatem ingenii cœpit iterum deperire, iterumque eam duxit, quasi populi precibus coactus: atque hoc spēcere crediderim Concordia, qua scilicet maxime omnium in coniubis expetitur, inscriptionem. Pronuba enim Juno, cuius Pavo, vel ex Pavone Imperium, cui fuerat restituta: five quod cum se Domitianus Jovem appellari pateretur, uxorem etiam Junonis honore voluerit decorari.

## FORMINARUM CONSECRATIO. CAP. IX.

**S**Edenim in Faustina nummo, quem argenteum vidi, Pavo habetur cum inscriptione, CONSECRATIO. In numo etiam, cuius inscriptio hæc, DIVA PAULINA, caput grandioris natum mulieris ab occipito velata, à tergo Pavo, qui candem effigiem insidentem dorso inter alas sustollit: eadem, qua in superiori est inscriptio, quippe CONSECRATIO. Observatum enim est in fœminarum consecrationibus, Pavonem, avem quippe Junoniam, è fastigio emitte, prout in marium apoteosi Aquila Jovis ales emittebatur, quamvis in Diva Sabinæ Augustæ numo Aquila, non Pavo sit. Videmus etiamnum Faustina Pie numun, in quo Aquila imagunculam cum radio gestat, cuius inscriptio est eadem, CONSECRATIO. Sed minime mirum, Faustina Aquilam ritu virorum datum, qua viro ipsa dederit imperium, quod etiam iure suo plerique in rebus administrabat, non sine Marci Antonii conjugis, viri undecumque probatissimi nota, cui cum amici suaderent, principis sui ignominia offensi, repudiandam esse Faustinam, si nollet eam occidere, qua, ut fama erat, Commodum ex adulterio conceperet, & apud Cajetanum conditions sibi & nauticas & gladiatorias elegisset: Atqui, respondit ille, fieri hoc minime potest, nisi dorem etiam reddiderimus: dos autem erat Imperium, quod ille à locero, volente Hadriano, adoptatus accepérat. In numo tamen, cuius inscriptio est, DIVA MAXIMA, cum muliebri capite, quod Luna insidet cornibus sursum versis, ab altera facie solus Pavo est, cauda in rotam passa:

Nn 3

*Augusta-*  
*rum numi.**incri-*